



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Mvndvs Et Mvndi Partes, Divinæ Bonitatis Ac Ivstitiæ
Præcones**

Stengel, Georg

Ingolstadt, 1645

Capvt XII. Paradisi terrestris præstantia & voluptas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-52365](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-52365)

in-
 scrutabilis est DEI Creatoris, in vno-
 quoque rerum genere, virtus, potentia, sa-
 pientia, & humani ingenij infirmitas, vt
 principes Philosophorum ignorantiam su-
 am fateri coacti dixerint: *Maximam par-
 tem eorum, quæ scimus, minimam esse eorum,
 quæ ignoramus.* Hæc Sancti considerantes,
 Pl. 64. 10. in illas laudes effusi sunt: *Visitasti terram,
 Pl. 66. 7. & inebriasti eam. Terra dedit fructum suum.*
 Plal. 65. 4. *Omnis terra adoret te, Deus,* sed præcipue
 præcipua, hoc est, Paradisus, prima homi-
 nis sedes; cuius præstantia non est hic à
 nobis prætereunda; vt agnoscamus, in-
 quam præclara parentes nostros, eorum-
 que, si in innocentia perstitissent, succes-
 sores, voluerit D E V S habitare terra.

C A P V T XII.

*Paradisi terrestris præstantia &
 voluptas.*

§. I.

Paradisi eminentia, & locus.

Olaus
 Magn.
 lib. 11.

REfert Olaus Magnus, apud Au-
 strogothos, non longè à lacu Ve-
 neris, montem esse eminentissi-
 mum, vulgari gentis sermone *Kindaculla*
 dictum, tantæ altitudinis, vt à nauiganti-
 bus

bus, ultra XL. milliaria Italica, in eodem lacu, quasi atra nubes, inter cæli hiatus, appareat. Ideoque multi tempestatibus, vique ventorum agitati, summis viribus conantur eius pedem attingere, vbi tranquillissimum portum esse meminerunt. In illius montis summitate, mira amœnitas frôdium, varietas herbarum, suauitas fructuum, copia diuersarum arborum, sua sponte nascentium, non varietate magis, quam dulcedine, velut satarum, reperitur. Accedit auium concentus, quæ mellitissimos cantus fundunt, & totum montem exhilarant. Tota cæteroqui regio vndique aspera, hanc habet arcem amœnissimæ iucunditatis. Quantum hic mons, & Tempe illius eminent, apud Austrogothos; tantum eminent, supra omnes alias mundi terras, Paradisus voluptatis, hortus deliciarum, cum quo nulli Hesperidum, aut Phœacum, aut Adonidis horti, nulli Elysij campi, nullæ insulæ Fortunatæ possunt comparari; quem DEVS eodem, quo ceteras plâtas, tertio die, arboribus pulcherrimè confitum, suauissimorum fructuum vbertate refertissimum; florum coloribus pictissimum; irrigatione limpidissimæ aquæ

V 5 amœnis-

amœnissimum, peculiari cura concinnavit; non prope Lunæ globum, ut quidam, cum Endymione, somniarunt; sed in orientali orbis plaga, ut ex Interpretû 70. textu colligitur, qui ita locum illum Gen. 2. legunt: *Et plantavit Deus Paradisum in Eden, ad Orientem.* Regio enim Eden, ad Orientem, respectu Palestinæ, sita fuit. Vox

Gen. 4. 16. autem *Eden* etsi sæpe, in sacris libris, pro
Ezech. 27. nomine proprio loci, seu regionis, sic dictæ
23. lib. ponitur, & verò hîc quoq; poni credibile
4. Reg. 19. est; tamen phrasi Hebraica, *delicias* signifi-
cat, & nonnunquam absolutè, pro *loco*
voluptatis usurpatur: siue vox illa, ex ori-
ginè sua, delicias significet; siue idcirco *E-*
den cœperit pro voluptate & delicijs usur-
pari, quia olim fuerit nomen loci delicio-
si. Qui, probabili opinatione, fuit, ubi nunc
est Mesopotamia, aut non procul ab ea,
cùm illæ regiones propriè, in sacra Scri-
ptura, Orientales nominentur. Hoc ergo
lætissimo loco, hæredium, hoc pomarium,
& , velut suburbanus Adami secessus fuit,
Adamo de tota supellectili sua cognitissi-
mus. Cuius cognitionis testis est ipse, qui
animantia *adduxit ad Adam, ut videret,*
quid vocaret ea, naturis eorum congruen-
ter.

Est autem vetus quaestio, priusne nomina suas habuerint proprias significaciones, vt proinde imposita sint rebus, prout ipsarum naturis aptius congruere videbantur, vt Platonici voluerunt; an potius nomina, indifferenter, & ad placitum, rebus fuerint indita (vt Peripatetici docuerunt, & in diuisione linguarum videtur accidisse) postea autem à rerum naturis suas acceperint etymologias. Platonice fauere videtur sacra historia, quæ innuit, nomina rebus, ab Adamo, fuisse velut consultò imposita: qui cum, pro sapientia sibi diuinitus infusa, rerum naturas, & singularum vocum significaciones optimè dignosceret, conuenientia singulis nomina accommodauit. Quod satis clarè colligitur ex illis:

Formatis igitur, Dominus Deus, de humo Gen. 2. 19.
cunctis animantibus terra, & vniuersis volatilibus caeli, adduxit ea ad Adam, vt videret, quid vocaret ea, omne enim, quod vocauit Adam animæ viuentis, ipsum est nomen eius. Appellauitque Adam nominibus suis cuncta animantia, & vniuersa volatilia caeli, & omnes bestias terra. Quippe ni & plantas, & lapides, & metalla, & ipsa quoque sidera? solem & lunam? quamuis vtrique eis superstitiosa

stitiosa Deorum & fabularum nomina nõ dederit: cùm monstra illa tunc nondum ex Orco in terras emerferint; neque, si emerfissent, eorum vocabulis astra fuisset homo sapientissimus, & adhuc innocentissimus, maculaturus: immò cùm nomina & vocamina rerum omnium, saltem in radicibus suis, à Deo, cum sermocinandi facultate accepta, utique contra Dei honorem, creaturis non esset impositurus.

§. III.

Rerum creatarum, quàm delectabilis cognitio?

Ex hac porrò nominum impositione docetur, quàm gnarus fuerit Adamus omnium naturarum, quarum nomenclatura ex cognitione pendet nominantis. Eam autem cognitionem diuinitus inditam, ac postea etiam oculis, atque ceterorum sensuum experienciã confirmatam, quantæ oblectationis causam non arbitremur extitisse? Philoni in voluptate fuit terra, quæ irrigata vel fluminum restagnationibus, sicut *Aegyptus*; vel annuis imbribus, exhausta feracitate vires reficit, & quiete modica se refouet, moxq; ut antè, alimenta largiter animalibus suppeditat. Quapropter, opinor, Poeta

Philolib.
An. Mūd.
fit corruptib.

Poëtis non temerè Pandoram vocari, quasi
πάτρα Δωρυμένην, id est, omnia largientem,
 vel jucunda, vel necessaria; non his aut illis,
 sed omnibus, quaecunque sortita fuit animam.
 Certè si cui daretur adulto verè pinnae alâs-
 que sumere, & è sublimi campos collésque in-
 spicere: quomodo illi herbas ferant & pabulū,
 hordeum & triticum, aliâsq; species varias; vel
 satas agrorum industria; vel sua sponte
 provenientes: hi verò folia frondésque, qui-
 bus densent arbores, simulque fructuum co-
 piam, quibus non solūm arcetur inedia, sed &
 lassitudini succurritur, (nam olea fructus me-
 detur defatigatis corporibus; vinum modicè
 potum remittit vehementes dolores animi) pra-
 terea suaves aurae exhalantes è floribus, co-
 rûmq; colores ineffabiles arte diuina pictura-
 torum: moxq; deflexis oculis ad arbores infra-
 giferas, contemplari seorsim siluestres populos,
 cedros, piceas abietes, quercuum robora pre-
 cerissima, ceterâsq; id genus materies, qua tum
 montes maximos, tum plerosq; pingues agros,
 radicibus eorum subjectos opacant: agnosceret
 indefessum terra semper iuuenescens vigorē.

§. IV.

Celi aspectus & pulchritudo.

Potuit Adamus è quatuor elementis,

& (à

& (à prædominio) è terra limòque formatus, quàm primùm factus est in animam viuentem, (hoc est, animal viuens, & videns) longè omnia maiore cum voluptate tueri. Vt primùm enim spirare, atque è pigra gleba animatus ambulare cœpit, velut peregrinus aliquis hospes in nunquam visam vrbe intrans, oculos vbique circumtulit, per hoc nouum, & inusitatæ elegantiaë theatrum; sedemque hinc Angelis, inde hominibus, immo vtrinq; vtrisque olim communem aspexit; deorsum virentem, sursum splendentem, & indefatigata cœlestium orbium officia voluentem; nusquam non certis æternisque legibus deuinctam miratus. Ac initio quidem, naturæ corporisque sui vtique fabricam secutus, vultum, ad cœlestes orbis, placuit attollere, vt oculis quoque rationem caperet eorum, quæ iam lucida mēte comprehendebat. Ibi ergo in octaua sphæra, suspexit velut innumerabiles stellas, quibus sapientissimus Artifex mixtim, & tanquam sine ordine, non tamen sine consilio, & summa arte, prouidentiaque cælum vndique, & vndique, jucundissima confusione, consperxit. Ibi vidit nocturnâ

Luna

Lunæ successione, à fraternis occur-
sibus lene remissumque lumen mutuan-
tem; & modò occultam ab hominibus a-
mittendam agnouit, modò toto ore ter-
ris imminentem oculis rursus accipien-
dam vidit; accessionibus damnisque mu-
tabilem, semperque proximè dissimilem
futuram. Ibi obseruauit & reliqua quin-
que sidera ex indole sua, diuersis vijs, cæ-
lisque vagantia, & in contrarium præcipiti
mundo nitentia, propriòque motu, quasi
per chorùm, nunc horsum, nunc illorsum
tendentia, circulùmque suum completu-
ra, redituraque, per gyros, ad pristinam
stationem. Nec cælestium luminum mul-
titudinem tantùm miratus est, sed etiam
varietatem, situm, dispositionem, figuram-
que, ad arbitrium Astrologorum, mente
fabricandas. Ibi deprehendit Lunam, &
apparentiores fulgores è minoribus igni-
bus commendari; ibi cum lætitia laudauit,
minimæ magnitudinis stellas, quas vidit
velut aurea quædam puncta, in cæruleo
conopæo, pulcherrimè interlucere. Ho-
rum omnium siderum lucem, ex arte diui-
na, sensit non esse meridiani solis claritu-
dini parem, sed leniter illustrantem: cum
ita

ita splendor ad suauitatem temperatus, contemplantium obtutibus non officeret; & neque cursum astrorum olim obseruatos, neque nauigationum mensuram inde petituros, esset fulgor nimis ardens perstricturus; stellæque singulæ virtutes suas, vel motu, vel luce, sine nocturnæ refrigerationis detrimento, possent commodius propagare. Laudauit tunc vtique Adam mundi Conditorem, cum & posteri eius, eodem aspectu incensi, in diuinas laudes fuerint effusi. Suspexit ad astra Dauid, &

Ps. 148, 1.

canere cœpit: *Laudate Dominum de celis: laudate eum in excelsis. Laudate eum omnes Angeli eius, qui scilicet cœlestium orbium motibus præestis: Laudate eum omnes virtutes eius; quæ de stellis in terram descenditis, quæque plantas producitis, quarum vi maxima ac minima formantur; & ipsum adeo aurum intra celissimos mōtes, gemmæ in profundissimis vndis excoquantur. Assonant tres pueri, & iucundissimo, inter*

Dan. 3.

S. Ambros. cl. 4.

Hexæm.

2. p. 2.

incendia, tricinio acclamant: Benedicite stelle Domino. D. autem Ambrosius omnes jubet in cælum suspicere, & contueri, quomodo per Lunæ, ac stellarum fulgorem cælum velut quibusdam floribus coronatum, ita igni-

tis luminaribus micet, ut Paradiso putes ver-
nante depictum, spirantium rosarum viuis mo-
nibus renitere. Vnde & a plerisque ornamentū
cali est nuncupatum, eò quòd sit stellarum mo-
nile pretiosum. Seneca Ethnicus homo, ipse
mundus, ait, quoties per noctem ignes suos fu-
dit, & stellarum tantum innumerabilium
refulsit, quem non intentum in se tenet? Te-
nuit igitur utique & primum omnium pa-
rentem, ac sine corruptionis adhuc ca-
lignè sapientem.

Senec.
lib. 4. de
benef.
cap. 23.

§. V.

Solis nobilissima formositas.

Sed nihil est magis tunc admiratus,
quàm, quòd erat in mundo clarissimum,
ipsum scilicet roscum solem, qui est, ut ait
S. Pater, oculus mundi, jucunditas diei, cali
pulchritudo, natura gratia, præstantia creatu-
re, & ut ait Poëta: sereni maximum mundi
decus; qui omnia virtute implet, terras die
illustrat, homines & pecudes pulchritudine
recreat; cali spirabile lumen; cor vniuersi; vi-
ta colorum; in cuius globum lux omnis est
collecta; à quo ceu fonte fulgor omnis in
lunam & stellas longè latè que dimanat.
Qui certis dimensum partibus orbem per duo-
dena regit, nitidus, citus, aureus astra: qui

S. Am-
bros lib.
cit. c. 1.
Senec. in
Hippol.

Virgil.
4. Georg.

quotidiano cursu diei noctisque; spatia signat; qui annum in æstatem hyememque, in ver & autumnum diuidit. Motu enim diurno quidem (qui est primi mobilis) in circulos raptus, ortu suo occasumque, diem & noctem distinguit; eo autem motu, qui ei per circulum Zodiaci, proprius est, annum terminat; eundemque duobus solstitijs, & totidem æquinoctijs, in quatuor partes, vernam, æstiuam, autumnalem, & hibernam secat; dierumque, per suas vices, incrementa & decrementa efficit; Luna quoque interim cursu suo, menses à mensibus secernente.

Lucret.
lib. 5. de
rer. nat.

*Sic vigiles, mundi magnam & versabile
templum,*

*Sol & Luna, suo lustrantes lumine circum,
Perdocuere homines annorum tempora veris*

Et certâ ratione geri rem, atque ordine certo

Hæc in mundum veniens primus noster-
genitor & oculis, & animo suspexit. Atque
vt vno verbo dicam, quidquid Chaldaei,
quidquid Ægyptij, quidquid Brachmanes,
quidquid Astronomi, quidquid Philosophi
omnes; post Adamum, à primis mundi in-
cunabulis, vsque in hanc præsentem ho-
ram, per tot mille annorum spatia; sine
dioptris,

dioptris, siue radijs Mathematicis, siue lō-
gissimis tubis opticis, siue grādissimis qua-
drantibus, siue quibuscunq; accuratissimè
& faberrimè factis instrumentis; diurno
nocturnoque labore, indefide studio, per-
tinaci vigilantia; vel in cælorum motibus,
vel in aspectibus astrorum, vel in cornicu-
lata Veneris stella, vel in Iouis stipatori-
bus, vel in Lunæ lucidis interuallis, vel in
maculis Solis, vel in effectibus, aut defecti-
bus omnium siderum, obseruare, adinueni-
re, tam multis, tamque longis & laboratis
libris comprehendere, & posteritati trade-
re potuerunt, poteruntque, vsque ad finem
mundi, id omne, & multò plura certiora-
que, Adamus, scientia non ab Archimede,
aut Euclide, aut in scholis hausta, sed di-
uinitus donata, vidit, perspexit, prædica-
uit; & utique (vt diu postea D. Gregorius
Nazianzenus) dixit: *Quibus verbis utendū
sit, nescio, cūm solem intueor.*

S. Gre-
gor. Naz.
orat. 34.

§. VI.

*Amœnitas terra ab Adamo aspecta,
in Paradiso.*

Tale nascenti Adamo spectaculum sive
exhibuerunt. Qui neque, cūm nondum
rerum supernarum aspectu satiatos in ter-
ram

Psa. 95. 11.
 Ferrar. 3.
 cōtr. gēt.
 cap. 84.
 & Alex.
 de Ange-
 lis. 1. cōtr.
 Astrol.
 c. 5. post
 Plin. li. 2.
 cap. 39.

ram deieciſſet oculos, in aliquid triſte in-
 currit. Excepit enim illum rurfus alia cre-
 aturarum forma, aliterque mirabilis, vt
 diceret: *Latentur cali, & exultet terra.* Nam
 cognitiffimum illi erat, plantarum, alia-
 rumque rerum, ſub Luna, exiſtentium ge-
 nerationem conſervationemque à cali ſi-
 derumque influxu dependere, nec abſque
 eorum lumine, occultis que virtutibus na-
 turaliter produci poſſe; ſciebat tamen, mi-
 ra Numinis prouidentia factum eſſe, vt, in
 productione mundi, cali luminaria, non
 ante, ſed poſt plantas primùm cōderentur;
 ſic enim nobis conſtat, DEVM eſſe verè pri-
 marium, & omnipotentem omnium rerū
 authorem & conſeruatorem; qui, ſine vi-
 lo etiam cauſarum ſecundarum admini-
 culo, ſolus poſſit, ſi ei placeat, omnia ex ni-
 hilo educere, neque à naturalibus cauſis
 concurſum debeat exigere: cū manus DEI
 (vtique potentior, quàm opera manuum
 DEI) quæ poſtea per cauſas ſecundas erat
 factura, prius iam fecerit ſine illis. Quoni-
 am autem opera immediatè à DEO facta, lon-
 gè ſolent eſſe naturæ operibus perfectiora
 conſequens eſt, tunc terræ faciem multò
 fuiſſe pulchriorem, quàm nunc eſt, præſer-
 tim

tim ibi, vbi, tertio mundi die, hortum pulcherrimis arboribus insignem Vniuersi Machinator condidit, non fodiendo, non terram colendo, non conferendo, sed verbo & sermone solo: *dixit, & facta sunt.* Cuius imperio, omnis generis, inibi, proueniebant plantæ suauiter redolentes, vmbriferæ, virescentes, aut alijs coloribus variegatæ. Tunc enim primùm, suis terra ornamentis est condecorata splendidiùs, quàm puella tenera, primùmque viro desponsa, quæ auro & vnionibus veste intertexta fulget. Vt enim, in regum viridarijs, areolæ floribus consitæ, ita in paradiso vbiq; pulchrè omnia nituerunt: & huc quidem ingenui coloris purpurâ inuitabant Adamû, illuc diffusi odoris illecebrâ trahebant; alibi aspectum simul atque odoratum ambiguo certamine laceſſebant. Renidebant venustæ rosæ diuersorum colorum: nimirum aliæ flauescentes, aliæ punicantes, aliæ ostro accensæ conspiciebantur, aliæ subalbi coloris. Nec niuea deerant lilia, aut cæruleæ irides, nec anagallides, nec *suauis rubens hyacinthus*, nec narcissi purpura; nec quidquã eorum omnium, quæ vel primo vere proueniunt, vel adultiore æstate germi-

germinant. Flos est (violam vocant) inter
 aliam Zephyri sobolem, & minorum gen-
 tium flores amœnè educatus; pede modico
 suffultus; qui purpuream capitis cæsariem,
 inquieta ventilatione, cuiusvis auræ ludi-
 brium officiosè ostentat. Ceterùm ex viri-
 di aluo progeneratus, quatuor à se purpu-
 rea ferrugine germina diffundit. Quâ se
 in patriam demittit scrobem, canescentes
 fulcro suo infigit radios. Ea vel sola, mini-
 mâq; plantula odore est tam liberali, tam
 suavi, colore tam grato, vt & Floræ nares
 inuitet, & oculos alliciat ipsarum Gratia-
 rum, Pæstaniq; ruris gloriam, comiter
 laceffat.

§. VII.

Adami, in Paradiso, negotium flores.

Hæc, inquam, viola terræ filia, cæli æ-
 mula, & huic innumeri pares, eniuero
 & maiores molliorésque flosculi vestigijs
 Adami ambulantis ambitiosè passim sese
 subijciebant calcandos. Denique

Ouid. 4.
 Factor.

*Tot fuerant illic, quot habet natura colores,
 Pictaq; dissimili flore nitebat humi.
 Quam simul aspexit, coniux accedito,
 dixit,*

Et mecum plenos collige flore sinus.
 Tullit.

Tulit enim Dominus Deus hominem, & posuit *Gen. 2:*
eum in paradiso voluptatis, ut operaretur, & *15:*
custodiret illum. Cum suavior vita esse non
posset, quam inter has naturæ suavitates,
dulcissima cura fuit Adami, topiariam ex-
ercere, atque agere hortulanum. De illo
igitur occupando statuit DEVS, quod
Poëta canit:

Ille colet nitidis gemmantem floribus hor- *Manil.*
tum, *lib. 16*

Pallenteis violas, & purpureos hyacinthos,
Liliaque, & Tyrias imitata papavera lucas,
Vernantisque rose rubicundo sanguine flo-
rem

Ceruleū folijs, viridi quoq; gramine collem
Conseret, & veris depinget prata figuris.
Aut varios nectet flores, fertisque locabit.

Hoc fuit opus Adami: in horto eum Con- *Catull.*
ditor posuit; quasi diceret: *Cinge tempora* *62.*
floribus Suaveolentis amaraci. Talis in vario
solet Diuitis Domini hortulo Stare flos hya-
cinthus;

Mulcet ubi Elysias aura beata rosas, *Propert.*
Et non sentitur sedulitate labor. *l. 4. Ouid.*

Quid delicatius potuit excogitari? habi- *lib. 4.*
tatio hominis fuit Paradisus; opus jucun- *Fastor.*
ditas; labor voluptas. Inducitur in virida-
rium

rium, statuitur inter flores; reclinatur in mollissimo gramine, ut in herbis capiat soporem; excitatur ad auroram; inuitatur ad rosaria; vagatur inter meras fragrantias, instar apis.

Ouid. 12.
mera-
morph.

*Vt modo rore maris, modo se violæ, ro-
sæ*

Implicet, interdum, candentia lilia gestet.

§. VIII.

Arborum, & silularum delitia.

Nec stiva opus erat, nec sarculo. Omnia sponte sua tellus inarata ferebat; fecunda pariter & ornata. Siquidem, præter huiusmodi humiliorem telluris gratiam, & quasi vestem elegantissimam, aderat etiam maiorum copia plantarum; ramique arborum folijs venustissime strepentes, & fructibus gratissime onusti. Quis stirpium fructiferarum ordines? quis succorum & balsami odoratas lachrymas? quis lignorum perpetuo virentium amœnitates, quis cælum æquantes & voluptatis causa conditas arbores, dignè possit oculis subijcere? Ibi platanus irrigua; sublimis abies, excelsum pinus, spirantes cupressi, vni que circa quas hedera serpebat nigris prædita folijs, corymbos quatiens; ibi florètes oliuæ, dul-
cescen-

cescentes fici, amygdali pingues, quercus
ymbrosæ: ibi pulchra cerasus, mellea pal-
ma, malus citrea: seu, vt nunc vocant, Me-
dica; & ea, quæ aureis pomis reluet: ibi vi-
tis racemorum mater, & palmitum imple-
xi ordines, inter quos hærebat liuens vua
succum nectareum continens, & gemmæ
instar, folijs interlucēs, sole in eam partem
incidente. Ad hanc formosam arborum
plantarumque mixturam accedebat sua-
uissima inumbratio viarum. Nam vicina-
rum rami arborum sociati, velut porrectæ
manus, mutuò se contingebant, & folia si-
bi allubentia, amabili sese complexu, exci-
pere videbantur. Vento autem in ramos ac
frondes delato, suauissimum quoddam mur-
mur foliorum efficiebatur; cui vitam addi-
derunt lusciniæ, & canore voces aliarum
auicularum se alternatim prouocantium,
& vincere cantu conantium. Quid verbis
exprimere laboro, quod nullis sensibus fa-
tis ibi potuit percipi? Omnia in summo e-
rant. In pratis herbæ decorem venum; in
fruticibus coriandrum, cucumeres, pepo-
nes; in arboribus rami maturos vndique
fructus; in bestijs natura hilaritatem; in
rebus omnibus hortus perfectionem habe-
bat.

bat. Non extabat quidquam expers gratiæ
venustatiſque ſuæ, non quidquam imper-
fectum.

§. IX.

*An, & cur, in Paradiso etiam non fructi-
fera arbores fuerint?*

Beda in
Hexaem.

Eti enim quasdã arbores nominavi-
mus nõ fructiferas, quas aliqui censent, vel
in Paradiso non fuisse, vel fructiferas ex-
titisse; haud tamen illis accedimus. Quis
enim non verisimilius existimet, tot tam-
que præclaras arborũ species Paradiso non
defuisse? quæ etsi fructũ non gignant esui
humano idoneum; sunt tamen ad multa
vtilis, sunt aspicientibus gratæ, sunt cete-
ris intersertæ oppidò elegantes. Caprifici
ficus, vt scribit Plutarchus, nunquam ma-
tureſcit; sed tamen vtilis est; gignit enim
culices, qui deuolantes ad veram ficum,
perfosso fructum cortice, in maturitatem
educunt. Xerxes in Lydia, cum vidisset
proceram platanum, diem solidum, ad ean-
dem, exegit, nulla postulante necessitate, &
castra posuit, circa illam; quin & curato-
rem ei reliquit, quasi custodem. Erat &
Romanis hæc tam grata arbor, vt eam vi-
no irrigarint. Quis iudicet Paradiso indig-
nam!

Ælian.
l. 2. c. 14.

nam? quis vlmum, laurum, abietem inde
 excludat, quas regum delicatissimi, siluulis
 hortensibus intulerunt? Multoque incre-
 dibilius est, has tales arbores tunc fructife-
 ras fuisse; post peccatum autem Adami,
 fructus ad esum aptos ferre desijisse. Si enim
 lapsus ille ipsius hominis naturalia bona
 non extinxit, cur bona arborum planta-
 rumque abstulisset? aut cur aliarum arbo-
 rum fructus tam dulces reliquisset? suffe-
 cissent peccatoribus malua, squilla, faba,
 caules, & glandes, asphodelus, & lupinum,
 si ita DEVS eos punire voluisset. Certè di-
 uina historia affirmat, DEVM produxisse, in
 Paradiso *omne lignum pulchrum visu*. At mul-
 ta sunt ligna visu pulcherrima, quæ fructu
 carent. Nempe fructus est etiam optimus
 ipsa pulchritudo. Ezechiel quoq; testatur, Ezech. 31
8.
 in Paradiso, cedros, platanos, & abietes ex-
 titisse. Quare cum dicitur: DEVM produ-
 xisse *omne lignum pulchrum visu, & ad vescen-
 dum suauē*: item: *Ecce dedi vobis omnem
 herbam afferentem semen super terram, & v-
 niversa ligna, quæ habent in semetipsis semen-
 tem generis sui, ut sint vobis in escam, & cun-
 ctis animantibus terra: itémque, ex omni ligno
 Paradisi comedet*; ea in sensu disiuncto, non
 coniun-

coniuncto sunt accipienda; hoc est, non de omni herba & ligno absolute, sed de omni planta ferente fructus ad edendum opportunos. Constat profecto, aliquot esse plantarum seu lignorum genera, quæ non sunt pulchra visu, & tamen fructus admodum suaves pariunt, ut vitis, cuius lignum ad nihil valet, nisi ad ignem nutriendum. Ut ergo Paradisus palatum oblectaret, arbores habuit pomis alijsq; fructibus onustas; ut oculis afferret plenam voluptatem, plâtas exhibuit sola florum, foliorumque venustate blandientes.

§. X.

Arbori vite naturalem vim fuisse conservandi hominis.

Ante omnes tamen arbores vnica erat omnium nobilissima; atq; ea propter, tanquam cor, aut centrum, in medio Paradisi collocata, longè utiq; & natura, & effectū, ab his mortalibus nostris plantis diuersa. Siquidem illa *arbor vite* appellata est, non quòd ab extrinseco, & supernaturali quodam munere DEI (ut nonnulli arbitrati sunt) vim habuerit hominis ab interitu præservandi; sed id ei, ex vi propriæ naturæ eidem diuinitus inditæ, competebat, ut quicunque

cunque ex ea vescerentur, quasi nectare
quodam aut ambrosia Deorum (vt postea
ex hac vera historia Poëtæ fabulati sunt)
vitam propagarent. Cuius rei argumentū
est, quòd etiam Adamū peccato iam mor-
tem commeritum, eiusdem ligni vis & be-
neficium, à morte præferuare potuisset, nisi
Deus eum, adhibita Angeli custodia, dein-
ceps de ligno vitæ sumere prohibuisset. Si
igitur ponimus, hanc arbori huic virtutē
fuisse naturalem, perspicuum est, eam ar-
borem, ab omnibus his arborum generib⁹
fuisse diuersissimam, quippe nulla eiusce-
modi vi pollet, juxta vulgatum illud :

*Contra vim mortis, non est medicamen in
hortis.*

Laudatissima herbarum est, Homero teste,
quam vocari ab dijs putant *moly*; & quam
contra summa veneficia valere credide-
runt. Sed ea vel fabulosa fuit, vel contra
vnum alterūve veneni genus duntaxat,
potuit adhiberi; mortem tamen pelleret, ac
vitam non potuit æternare; sicut potuit

arbor vitæ; vt probabilius S. Augustinus &
Chrysostomus docuerunt; tametsi præ-
clari Doctores, & ipse D. Thomas existi-
marint, arbori illi vim infuisse, ad longum
dunta-

Plin. l. 25.
cap. 4.

S. Augu-
stin. li. 13.
de ciuit.
cap. 20.

S. Chrys.

hom. 18. duntaxat tempus, nō autem perpetuò ho-
 in Genes. minem à morte naturali conseruaturam.
 S. Thom. Sed SS. Patrum sententia diuinis litteris
 1. p. q. 97. magis consonat, quæ clarè ita loquuntur;
 2. 4 Scot. immo, in ijs, DEVS: *Ecce Adam, quasi vnus*
 in 2. sent. *ex nobis factus est, sciens bonum & malum:*
 dist. 19. *nunc ergo, ne fortè mittat manum suam, &*
 q. 1. Gen. *sumat etiam de ligno vite, & comedat, & vi-*
 3. 22. *uat in aeternum. Et emisit eum Dominus Deus*
de Paradiso voluptatis, vt operaretur terram,
de qua sumptus est. Eiecitque Adam: & collo-
cavit ante Paradisum voluptatis Cherubim,
& flammeum gladium atque versatilem, ad
custodiendam viam ligni. Quid opus fuisset
hac custodia, si ligno illi, post peccatum
protoplastæ, vis pristina ampliùs, & qui-
dem perpetuò conseruandæ vitæ non in-
*fuisset? quàm apertè dicitur? *ne fortè mit-**
tat manum suam, & sumat de ligno vite, &
comedat, & VIVAT IN AETERNVM. Certè,
 si virtute naturali fructus huius ligni, po-
 tuit refouere calorem naturalem, ac hu-
 midum radicale, ea perfectione, quæ in
 virilis ætatis statu esse solet, restaurare; cō-
 ficitur, quotiescunque Adam fructu illo
 vsus esset, corpus eius semper reflorescere,
 atque ita eum æternū sine senio viuere
 potuif.

potuisse; vel, si non in peccatum lapsus-
esset, donec Deo placuisset ipsum ad bea-
torem vitam in caelum transferre.

§. XI.

In Adamo, duplex Dei similitudo.

In tali non agro, sed horto, Creator ho-
minem initio posuit, vbi neque labor, ne-
que senium, neque morbus, neque mors,
neq; tedium vllum; sed omnia terræ bo-
na sponte & abunde proueniebant; vbi
passim oculis simulq; naribus adblandie-
bantur panace, nepenthes, amaracus, am-
brosia, lotus, rosa, viola, hyacinthus, &
Elysijs campi. Atque in his quidem positi
delicijs Adam & Eua nequaquam à fletu
sunt auspicati vitam, sed protinus deco-
rissimo mundi aspectu exhilarati suam fe-
licitatem; & in hac ipsa quoque tam beata
habitatione, quādam Numinis imaginem,
Numinis, inquam, vndequaq; beatis agno-
uerunt. Quanquam & alia Numinis ima-
go homini est impressa, quam S. Bernardus
etiam atque etiam monet intuendam, dum

ait: *Intellige dignitatem tuam, nobilis creatu-
ra, quoniam non solum insignita es Dei imagi-
ne, verum etiam decorata similitudine. Et ite-
rum: Quid maius his tibi facere potuit, quam*

S. Ber-
nard. de
interna
domo.
cap. 67.

ad

ad similitudinem suã conderet factor tuus? Attende igitur diligenter primæ cõditionis tuæ excellentiam, & venerandæ Trinitatis imaginem in te ipsa agnosce. Quin, vt doceat, quid sit ista Numinis & hominis vel imago, vel similitudo, addit: Considera nobilitatem tuã, quòd, sicut Deus ubique est totus, omnia viuificans, omnia mouens & gubernans: &, sicut Deus, est, viuit, & sapit; ita tu secundum modum tuum, es, viuis, & sapis: & sicut in Deo tres sunt personæ, Pater, Filius, & Spiritus sanctus; sic tu habes tres vires, scilicet intellectum, memoriam, & voluntatem.

§. XII.

Cur Deus suam homini similitudinem impresserit?

Principes, si rem quampiam vel saluam volunt, vel honoratam, insignia sua illi appendunt, sigillum imprimunt, ne violetur. Ita ex diuina imagine homini à Deo impressa, intelligimus, quantum in eum diuinæ authoritatis, dignitatis, maiestatis voluerit deriuare. Sua eum imagine insigniuit, vt ei cælum & terra seruire, vt Angeli ministrare, vt bestia obediare non dedignarentur, vt ipsi atri dæmones nocere non auderent; denique similem eum sibi fecit.

vt

vt esset, quem amaret, & à quo amaretur, cum similitudo sit mater amoris. Igitur sicut DEVS Euam Adæ sociam creauit, quia nullum animal simile illi erat, cum quo societatem, amicitiam, ac familiaritatem inire posset; ita, cum, inter omnes corporeas creaturas, nulla esset DEO similis, hominem sibi similem fecit, vt eius amicitia ac familiaritate gauderet, & quidem æternum gauderet, nam & in hoc etiam suam, in homine, agnouit & amauit imaginem, quia fecit eum æternitatis, infinitatis, beatitudinis, & diuinitatis quodammodo capacem. Hinc etsi alias res omnes à se creatas approbârit (*vidit enim Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona*) de nulla tamen creatura corporea honorificentiùs locutus est, quàm de homine, de quo, per Salomonem, dixit: *Delicia mea esse cum filiis hominum*; DEVM videlicet vicissim diligentium. Nam, si DEVS creatam imaginem suam tantopere amat, quantopere erit ab homine ipsum increatum prototypon redamandum? Si, ob diuinam hanc imaginem, ac summæ maiestatis participationem, hominem omnes creaturæ reuerentur; quid par erit honoris ab homine Creatori suo

Gen. 1.

Prou. 8.

Y
exhi-

S. Bernard. de
interna
domo.
cap. 67.

Matth.
22. 21.

exhiberi? Nunquid & ipse homo operam dare debet, ut dignitatem suam, excellentiæque laudem conferuet, & venerandam Conditoris sui imaginem non contaminet? atque pro pulcherrima DEI similitudine, inducat foedissimam similitudinem diabolorum? Iterum verbis S. Bernardi hominem alloquor. *Intellige dignitatem tuam, nobilis creatura, quoniam non solum insignitas Dei imagine, verum etiam decorata similitudine; sigillum hoc tibi appressit, ut te, contra omnium creaturarum insultus muniret; imaginem suam tibi ita radicatus alitque; insculpsit, ut, salva tua substantia, signaculum hoc à te auferri non possit; quod, in Mineræ clypeo, æmulari potuit, Phidias, non imitari. Hoc sigillum, hæc imago, istud signaculum te monet, cuius sis Dominatoris. Ex inscriptione, & imagine nummi, Christus hanc sententiam tulit: *Dare Casari, qua Casaris sunt*: tu, ô homo, ex DEI imagine in te agnita, *Da Deo, qua Dei sunt*. Fur es, sacrilegus es, si ei te subducis. Imago animæ tuæ inscripta, dicit tibi, non esse tui juris, sed esse quid DEI proprium. *Da Deo, quod Dei est*. Creatura utique est Creatoris; filius Patris, seruus Domini, mi-*

les Ducis. Similitudo te monet, cuius sis. Imaginem DEI geris, vt filius tui Patris, cui amorem debes ac pietatem. Hæc imago, hoc signaculum, honorificum est, vt ita dicam, stigma, quo mancipium suum notauit: honorem igitur Domino tuo præsta; time eum, vt seruus, & omni studio reuerere. Hæc imago signum & tessera est tui Imperatoris, cui fidem, cui obedientiam, cui vitam debes. Ad extremum, sicut vrbium conditores, in medio ciuitatis à se extractæ, imaginem suam, è marmore, vel ære factam solent ponere, vt omnibus eam aspicientibus constet, quis fuerit ædificandæ vrbs author: sic omnipotens ille Vniuersi huius architectus, hominem, hoc est, imaginem suam, in medio mundi à se conditi collocauit, vt eam intuentes intelligerent, quisnam sit tanti operis fabricator, atque vel hinc discerent recto creaturarum vsu, ad principium suum, omnia reducere. Talem ergo DEVS hominem, talem homini terram, talem domum, talem suppellectilem dedit. Neq; opus est alio iudice, quando DEVS fert iudicium. Postquã hæc omnia condidit, *vidit Deus cuncta, Gen. 1.31. quæ fecerat, & erant valde bona.* Quin neq;

Y 2

i

pse

Pfal. 8. 1. ipse primus homo quidquam vidit, quod non laudaret, & ad quod, non exclamaret: *Domine Dominus noster, quàm admirabile est nomen tuum in vniuersa terra?* Dominum vocauit, à quo ipse in terris, dominus factus est vniuersorum; nam quamdiu Deo seruiuit, cetera omnia illi quoque seruiunt. Postquam rebellis factus est, quid mirum, si ei etiam alia cœperunt rebellare?

CAPVT XIII.

An, &, quo pacto, Terra, Planta, Bestiæq;, ante, & post peccatum Adami, subiectæ, vel mutatae, hominib; infestæ factæ sint?

§. I.

Peccato terræ maledictio inducta.

**Pfal. 101,
15.**



Være merito aliquis possit, cur Propheta rex dicat: *Initio tu Domine, terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt celi?* An non utrumque initio fundauit? cur id non dicit de vtroque? Nimirum cælum ita mansit, sicut fuit initio fundatum; terra autem mutauit faciem suam, aut mutasse videri potest; postquam Adam exul à Paradiso eliminatus, terram mutauit. *Initio, eum primus homo*